



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De opinione liberorū Constantini, & Homousii & Homoiusii differētia, &
vnde effectū est, vt Constātius a recta fide diuerterit. Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

erevit, & propter ardens pietatis ac virtutis studium, atque adeo facta admirabilia ecclesiasticorum virorum sanctorum & pie viram degentium, Gentiles superstitionis præstigiis obæcatos attraxit ad se, atque traduxit. Istas res quoque auxere imperatores, qui nõ minus studii in ecclesiis amplificandis, quàm pater, posuerunt: clericis, liberis eorum, & familiæ, eximios honores & immunitatem quoque tribuerunt; atque non modò paternis suffragati sunt legibus, sed proprias etiã ac suas contra eos, qui simulachris immolare, eadẽ colere, aut vllũ aliũ ritum Gẽtilis religionis obseruare aggredierentur. Delubra item vbiq; vel in vrribus, vel in agris posita occludi mandarunt: quæ quidem distribuebant ecclesiis, quæ vel locis ipsis, vel eorum materia egere viderentur. Nam maxima ab illis suscepta cura est, vt ecclesias, quæ temporis diuturnitate ruinosæ essent, reficerentur: alię autem è primis iactis fundamentis magnificè ædificarẽtur: ex quarum numero fuit ecclesia Emesæ, illustrissima illa quidem, & pulchritudine plane insignis. Quinetiam lege sancierunt, vt nullus Iudæus seruum ex alia secta emeret. Quod si secus faceret, seruũ publicum esse. Porro si quisq; circũcideretur, vt lex Iudæorum postulat, capitis supplicio & bonorum amissione mulctari. Nam cum omnibus modis religionem augere studerent, huic rei etiã prouiderunt, vt nemo impunè eos, qui ex eo genere non essent, ad ritum Iudæorum attraherent, sed vt hi, qui spem in religione Christiana posuerant, in ecclesia continerentur. Nam religio Christiana maximè ex populo gentili creuit.

De opinione liberorũ Constantini, & Homosii, & Homosii differẽtia, & vnde effectũ est, vt Constantius a recta fide diuerterit. CAP. XVII.

Quinetiam isti imperatores de ipsa religione primò opinionem paternam tenuere. Nam ambo fidem concilij Nicæni approbarunt: in qua Constans quidem ad extremum vitæ diem perseuerauit. Cõstantius autem, etsi aliquandiu in ea perstitit opinione, postea tamen voce **CONSUBSTANTIALI** reprehensa, de priore sententia depulsus est. Verùm filium patri substantia similem confiteri non omnino recusauit. Eusebius autem, & alij nõnulli episcopi

scopi, qui id tēporis in oriente propter doctrinę & vitę pię institutę præstantiam in magno honore habebantur, filium patri consubstantialem dicere, & filium patri substantia similē inter se, vt scimus, differre voluerunt. Nam hanc vocē *ὁμοούσιον* id est, **CONSUBSTANTIALE**, in corporibus propriē intelligi: velut hominum, & cæterorum animalium, arborum, & plantarum, quę ex simili substantia constant, similemque ortum habent. At verò *ὁμοιοούσιον*, id est, **SVBstantia SIMILE**, in rebus corporis expertibus, vt in Deo, & angelis cerni: cum alterutra res per se secundū propriam substantiam ac suam intelligatur. Eiusmodi rationibus etiam imperator Constantius de priore sententia deductus est. Et cum in eadem opinione, vt ipse coniicio (si modò sensum solum spectemus) cum patre & fratre esset, verbum: tamen cum verbo commutās, pro **CONSUBSTANTIALI SIMILE SVBstantia** dixit. Nam hoc quidem harum rerum interpretibus visum est: qui constanter affirmarent istud nomen ad rem significandam multò exquisitius esse: quòd si quis aliter diceret, eum visum iri rem corpore vacantē pro corpore intelligere: quod quidē pleriq; stultū existimarūt. Dixerūt enim ex rebus, quę oculis cernuntur, noīa ad res mēte sola pceptas exprimēdas sumēda esse: nihilq; esse in verbo periculi, si nō in sensu erratū esset.

Rursus de Homousio, & Ariminensi concilio, quomodo, vnde, & qua de causa conuocatum est.

CAPVT XVIII.

NEC mirum sanē imperatori istud contigisse, cum per multi etiam episcopi, qui fidei concilij Nicæni consentiebant, hoc nomen sine contentione admisissēt: qui quidem vtroque verbo, discrimine omni remoto, ad vnam eandemque rem significandam vsi sunt. Quare mihi quidem videtur illa oratio, quę tam insolenter ab Ariani iactata est, multū à veritate discrepare. Aiūt enim post cōcilium Nicænū cōplures episcopos, ex quorū numero fuere Eusebius & Theognis, renuisse deinceps, filiū patri cōsubstantialem dicere: Cōstantinumque eare grauiter commotum, exilio eos addixisse. At cum somnium, aut, vt ipsi prædicant, vera visio sorori imperatoris diuinitus obla-

obla-